



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

Seculum decimum ab Anno 900. ad 1000.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

De Remigio Antisiodorensi. 890.

Remigius Antisiodorensis Monachus floruisse videtur circa annum Dom. 890. Siquidem Fulco Remensis Episcopus, qui hoc tempore sedebat, ad scholas instaurandas Magistrum Remigium Antisiodorensis Remos aduocauit, vt Frodoardus in eius vita testatur. Fuit hic Remigius vir ea ætate doctissimus habitus. Scripsit Commentaria in Psalmos ex Patribus Ambrosio, & Augustino multa decerpens. Scripsit etiam in duodecim Prophetas. Scripsit quoque de diuinis officiis: quæ omnia opera impressa extant. Scripsit etiam expositionem Missæ, quæ habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. Scripsit de aliis multis argumentis, quæ vtrum extant, ignoro.

De Ambrosio Ansberto. 890.

Ambrosius Ansbertus Monachus eodem tempore floruit. Scripsit autem in Apocalypsim, in Psalmos, & in Cantica canticorum: Dicitur etiam scripsisse de cupiditate, & epistolas ad diuersos.

Seculum decimum ab Anno 900.
da 1000.

De Leone Sapiente Imp.

Leo sextus huius nominis Imperator non sine causa Sapiens dictus est, scripsit enim Epistolam insignem ad Regem Saracenorum de Christianæ fidei veritate, & Saracenorum impietate, vbi disertis verbis Spiritum S. à Patre, & Filio procedere affirmat. Extat hæc epistola in Bibliotheca SS. Patrum tom. 3. Extant etiam in Bibliotheca Vaticana orationis huius Imperatoris plurimæ, quarum titulos, & vnã integram refert Card. Baron. tom. 10. Annual. ad ann. Dom. 911. quo anno hic Imperator obiit. Extant hæc orationes latine redditæ, & Ingolstadii excusæ. Refert quoque Iacobus Gretserus Societatis Iesu

Theologus tomo 2. de Cruce, Orationem alteram eiusdem Leonis Cruce. Itaque illustravit hic Imperator hoc seculum, alioqui valde obscurum.

De Marco Eremita. 906.

Marcus Eremita hoc eodem tempore vixit, quippe qui Leonem VI. Imperatorem saucium curavit, & decennium vitæ illi prædixit, ut Zonaras, & alii Græci historici narrant. Scripsit multa opuscula Theologica, quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum to. 5. edit. 2. Sed ea opera ita scatent erroribus contra fidem, ut suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis conficta, aut valde deprauata fuisse: neque alia de causa huius auctoris meminere, nisi ut admonerem cautissime esse legendum: non enim desunt alii auctores pii, qui sine tali periculo legi possunt.

De Reginone Abbate 908.

Regino Abbas Prumiensis ad initium anni nongentesimi floruisse videtur. Scripsit enim libros duos Chronicorum ab adventu Domini usque ad annum eiusdem Dom. 908. ut ipse testatur initio sui operis. Sed continuavit aliquis alius anonymus usque ad ann. 967. Dicitur etiam scripsisse de disciplina Christiana libros duos, quos extare non puto.

De Radulpho Flaviacensi. 910.

Radulphus Flaviacensis Monachus floruit ann. Dom. 910. Scripsit in Leviticum libros viginti, qui excusunt Colonia anno 156. Scripsit etiam in epistolas sancti Pauli libros 14. pro numero epistolarum.

De Luitprando Ticinensi. 946.

Luitprandus Ticinensis Diaconus, & postea Cremonensis Episcopus, vir fuit multæ auctoritatis ob eruditionem, & prudentiam. Functus est legatione nomine

mine Berengarii Imperatoris ad Constantinum Imp. Grecum, anno Dom. 646. cuius legationis ipse meminit: & extat historia huius legationis apud Henricum Canisium tom. 6. antiquæ lectionis. Scripsit historiarum libros sex de rebus gestis in Europa suo tempore. Sed Card Baron. tomo 10. Annal. ad annum Dom. 963. non sine causa suspicatur, à capite sexto sexti libri historiam non esse Luitprandi, sed alicuius anonymi auctoris: id enim videmus etiam in Reginone, & in aliis, vt ab aliquo alio continuentur, & extendantur.

De Vittichindo. 946.

Vittichindus Monach. Corbeiensis eiusdem temporis auctor scripsit libros tres de rebus Saxonis, vbi res gestas Otthonum Imperatorum describit.

De Stephano Eduensi. 950.

Stephanus Eduensis Episc. scripsit de Sacramento altaris, & iis, quæ ad illud pertinent. Quod opus extat in tom. 6. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2. dicitur autem floruisse anno Dom. 950.

De Frodoardo. 960.

Frodoardus Abbas Remensis, scripsit chronicum Remense ab anno Dom. 919. vsque ad ann. 966. quo anno creditur obiisse. Extat cum aliis Scriptoribus rerum Gallicanarum ex Bibliotheca P. Pithæi Parisiis anno 1588. excusum.

De Mose Barcepha.

Moses Barcepha Episcopus Syrus, qui dicitur floruisse hoc seculo, scripsit librum de paradiso in partes duas diuisum, qui extat in .1. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. secundæ, est autem hic liber caute legendus, quia non pauca affirmat contra veram Theologiam.